



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

417. An in ecclesiis, in quibus habens Dignitatem non præsidet in Choro,  
nec habet sedem & vocem in Capitulo, nisi sit simul Canonicus, Coadiutor  
talis Dignitatis, qui est simul Canonicus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

triennium respectu regulæ de trienniali, etsi interea factus non sit locus successioni, & nullatenus aliàs, illo anno aut triennio non transacto, juvetur annuali aut trienniali possessione prædecessoris seu ipsius Coadjuti. *Garc. loc. cit. Gonz. ad regul. 8. gl. 5. §. 9. num. 118. citantes Rotam in Plecent. Decanatus. 21. Ian. 1597.*

*Quæstio 417. An in ecclesiis, in quibus habens dignitatem non præsidet in choro, nec habet sedem & vocem in Capitulo, nisi sit simul Canonicus (in quo casu tam in choro præsidet quàm in Capitulo, habet sedem, & vocem secundum antiquitatem dignitatis suæ) talis dignitatis Coadjutor, qui est simul Canonicus proprietarius, præsideat & habeat sedem, iuxta antiquitatem dignitatis dictæ, si deseruiat ut talis.*

1. **R**espondet affirmativè *Garcias. p. 4. c. 5. n. 112.* ed quòd ex una parte Coadjutor dignitatis ut talis serviens habeat dignitatis illius præminentias, & cum ex altera parte ipse sit Canonicus, habere jam debeat præminentias competentes habentibus dignitatem unà cum Canonicatu: adeoque nec obstat, quòd ipse Coadjutor, utpote carens Canonicatu istam præminentiam non habeat; quia is ab ea habenda impeditur solum ex defectu Canonicatus.

2. Verumtamen *Castropal. tract. 13. d. 1. p. 10. num. 25.* contrarium censet probabilius; nempe talem Coadjutorem, etsi ratione Canonicatus habeat sedem in choro, & vocem in Capitulo, non habere sedem præminentem, neque posse præsidere, sicut hanc haberet & præsidere posset ejus Coadjutor, si esset simul Canonicus. Rationem dat, quòd licet Coadjutor serviat nomine Ecclesiæ, & vi potestatis non à Coadjuto, sed à Papa accipit; quia tamen servit loco Coadjuti, & vices illius gerit, & Coadjutor præsidere nequeat, aut habere sedem præminentem, id quoque nequit Coadjutor, etsi Canonicus. Ad hæc Coadjutori competunt privilegia, exemptiones, præminentia & prærogativa, quæ competunt Coadjuto ratione Dignitatis, & non alia; sed Coadjuto ratione dignitatis non competunt habere sedem in choro &c. ergo. Ad instantiam verò illam in contrarium, quòd nimirum Coadjutor in sacris constitutus Coadjuti non constituitur in sacris possit habere vocem in Capitulo, & talis Coadjutor eam non habeat, respondet, hanc dando disparitatem; quòd habere sedem præminentem & vocem in Capitulo in præsentem casu non competat dignitati utcumque, sed dignitati habenti annexum Canonicatum: ergo ratione hujus dignitatis non competit illa præminentia; Coadjutor verò ille ratione Canonicatus sui poterat habere suffragium, removeatur tamen à ferendo suffragio; quia ordinatus non est: Coadjutor verò illius, cum sit ordinatus, nulla est causa eum removendi. Verùm non satis assequor dictam disparitatem; parum enim modo dici potest; habere vocem in Capitulo non competit Canonico utcumque, sed habenti simul Ordinem sacrum; & sicuti Canonicatus ille Dignitati annexus est conditio, sine qua non competit sedes præminentialis in choro dignitari; sic etiam Ordo sacer est conditio, sine qua non potest Canonicus habere vocem in Capitulo.

*Quæstio 418. An habens dignitatem, ratione cuius dare potest vocem in Capitulo, facilius Coadjutor Canonici; & e contra Canonicus factus Coadjutor talis dignitatis habeat vocem duplicem in Capitulo.*

1. **R**espondet primò *Castrop. loc. cit. num. 36.* quòd si habens dignitatem & Canonicatum simul habeat duplicem vocem (ut tradit *Garc. p. 11. c. 5. num. 211. citatis Cardin. in eum olim. de re iudicata. num. 4. Abb. in idem c. 2. Felin. num. 1. & 2. Covar. l. 3. var. c. 13. num. 6. Hojed. de incompat. c. 12. num. 15. & 16. Azor. instit. mor. p. 2. l. 3. c. 11. g. 19.* & tradit ipse *Castrop. loc. cit. n. 37.* de iure competere tali habere duplicem vocem, posito, quòd dignitati competat habere vocem in Capitulo) dubium non esse, Coadjutori talis dignitatis duplicem competere vocem. Quòd verum est, si sit Coadjutor in utroque, sive tam respectu Canonicatus quàm dignitatis.

2. Dum verò consuetudo haberet contrarium, nimirum habentem dignitatem & simul Canonicatum in proprietate non habere nisi unam vocem in Capitulo, ei, qui haberet dignitatem in proprietate, & Canonicatum in Coadjutoria, & e contra, competere duplicem vocem in Capitulo, negat *Garcias* apud *Castropal.* vitiosè illum citantem; ed quòd Coadjutor non debeat esse melioris conditionis, & plus posse quàm Coadjutor. E contra affirmat *Castropal. cir. num. 37.* præcise dendo à consuetudine in contrarium; ed quòd, quòd proprietarius dignitatis, & Canonicatus non habeat nisi unam vocem, id non sit ex iure (ex quo aliàs duplicem debebat habere vocem, ut dictum *num. præced.*) sed ex consuetudine; adeoque illa, nisi sit præscripta ad Coadjutorem extendi non debeat; cum sit juri contraria. Ad hæc sicut Coadjutor dignitatis, & Canonicatus existentium in diversis personis habet duplicem vocem; quia aliàs non repræsentat diversas Coadjutorias, etiam qui habet dignitatem in proprietate, & Canonicatum in Coadjutoria, & quòd, si Coadjutor ille vellet, posset per se dare vocem in Capitulo, non obstante, quòd Coadjutor illius daret suam ratione dignitatis, quam habet in proprietate. Item Coadjutor posset vices suas in ferendo suffragio delegare alteri, quin per hoc impediatur Coadjutor ratione Dignitatis suæ dare vocem; jam verò illius vices commissas sibi habet Coadjutor à Papa in concessione Coadjutoria; ergo nil obstat, quin ut vices gerens Coadjuti det vocem, & altera det nomine proprio ratione dignitatis suæ.

*Quæstio 419. Quis honor & quæ servitia debeantur Coadjutori, maxime Episcopi.*

1. **R**esp. primò: si Coadjutoria sit data dignitati episcopali, saltè ex decencia absente Coadjuto debetur servitium Coadjutori uti ipsi Prælato, nec citra violationem urbani respectus ipsi venient aut exeunti denegari potest comitarus. *Remouch. c. 15. n. 5.* citans *Barbos. ad Trid. sess. 25. c. 7. n. 43. & seq.* ita quoque *Barbos. iur. eccles. l. 3. c. 10. num. 42.* refert, respondisse S. Congreg. Rituum in hæc verba: maxime decere, ut Canonici prædeant obviam Coadjutori Episcopo ad ecclesiam pontificaliter accedenti ad ostium ecclesiæ, eumque discedentem ad idem ostium deducere; imò valde commendandum, si nonnulli Canonici officii & urbanitatis gratiâ ad ipsius Coadjutoris ædes accederent. Item *num. 39.* hæc habet *Barbos.* censuisse eandem Congregationem,